DE
QUIBUSDAM LOCIS HERODOTEIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPSIT

JOA. PETRUS SCHAEFER

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ROSTOCHII.

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXX.

PARENTUM PIIS MANIBUS.

Feminis lugere honestum est, viris meminisse.
Tacit. Germ. c. 27.

Ab antiquissimis quidem temporibus non defuerunt viri doctissimi, qui, ut Herodotum auctorem esse levem nec satis fidum demonstrarent, summopere eniterentur.

Quid quod iam Aristoteles eum fictarum et commenticiarum fabularum narratorem (*μυθολόγον*) esse contendit. [1]) Alii etiam eo progressi sunt, ut consulto historiam rerum mendosiorem eum fecisse crederent; et Plutarchus illo „de malignitate Herodoti“ libello maximam operam dedit, ut omnia vituperandi et de industria obtrectandi libidine eum ductum fuisse convinceret. Si vero ab illis fabulis, quas, vera a falsis haud discernens, memoriae prodidit, [2]) recedimus, quin eum, ut quaestionibus, recentiore tempore institutis, satis demonstratum est, si universam eius historiam respicimus, auctorem satis fidum nominemus facere non possumus. Sed tamen multum abest, ut eam ob causam iam omnia, quae Herodotus narrat, vero non repugnare contendamus. Imo multa apud eum relata reperiuntur, quae credi omnino nequeant. Quod cum in toto Herodoto observatur, tum in quibusdam locis libri primi satis perspicue, ut mihi quidem videtur, potest demonstrari. E quibus quattuor elegi, quos ita fusius in hac quaestiuncula pertractem, ut res enarratas rationibus, vel e rerum natura sumptis vel ex aliorum auctorum discrepantia depromptis, reiciendas comprobem.

Locus insignis nobis capite octogesimo sexto primi libri occurrit, ubi Herodotus narrat, Croesum, Sardibus expugnatis, a Persis captum, a Cyro vinctum et deinde cum quattuor-

---

[1]) De gener. anim. III. 5. cf. Hist. anim. III. 22. Gellius N. A. III. 10, 11 hominem fabulatorem eum nominat. cf. Strab. IX. pag 508. Maneth. ap. Joseph. c. Apion. I. 14.

[2]) *Ἐγὼ δὲ ὀφείλω λέγειν τὰ λεγόμενα, πείθεσθαί γε μὲν οὐ παντάπασι ὀφείλω, καί μοι τοῦτο τὸ ἔπος ἐχέτω ἐς πάντα τὸν λόγον.* VII. 152.

decim adolescentibus Lydis rogo impositum esse. Tunc Croeso, ligno iam incenso, nota illa Solonis verba in mentem venisse, et ter eius nomen clara voce ab eo exclamatum esse, cum antea per magnum temporis spatium siluisset (ἐκ πολλῆς ἡσυχίης). Deinde Cyrum ex Croeso per interpretes quaesivisse, cuius nomen exclamavisset. Croesum vero initio non respondisse et demum coactum nuntiis interrogantibus satisfecisse. Sed responsum obscurum fuisse, et Cyrum per interpretes iterum Croesum rogavisse. Multis demum precibus Cyrum instantem tandem exploravisse, quid Croesus vellet, cum rogus inter colloquendum iam arderet. Deinde Cyrum, cum ei ab interpretibus verba Croesi nuntiata essent, misericordia commotum, ignem extingui iussisse. Sed hunc conatum irritum fuisse, et Croesum, cum nemo omnium flammam sedare potuisset, inter preces et lacrimas Apollinem invocasse ut ipsi adesset, cui optato deum eo respondisse, quod imbrem magnum de coelo misisset. Haec hactenus. Cui, inquam, hac narratione perlecta, non statim suspicio oboritur, eam secum pugnare. Nos quidem valde dubitamus, num Croesus tali cum tranquillitate, qualis nescio an apud nullum hominem cum morte violenta luctantem possit inveniri, interrogantibus responderit, quin flammis combureretur. Ad hanc miram tranquillitatem accedit, quod colloquium eo valde retardatur, quod Croesus, nuntiis demum ei instantibus, tandem respondit, et quod Cyrus cum Croeso per interpretem, cui saepius inter ambos iter faciendum erat, colloquebatur. Postremo Herodotus se ipse quodam modo corrigit, cum Apollinem ignem imbre, subito de coelo misso, extinguentem faciat. Ipse quidem discrepantiam, quae narrationi inest, videtur intellexisse et ad hunc deum tanquam ad deum ex machina confugisse, ut, cum in angustias adductus esset, se ex eis expediret. Praeterea maximi est momenti, quod Cyri indoles alioquin nobilis et ad misericordiam propensa apparet. Vix igitur animum inducere possumus, ut virum, a crudelitate in tota vita alienum, capitis damnasse putemus non solum Croesum, sed una cum eo quattuordecim

adolescentes Lydos. Astyagem quidem usque ad vitae finem liberalissime et clementissime tractavit;[1]) regionem Barcaniorum, ut Ctesias refert, ei dono dedit et eum in honore habuit sicut patrem.[2]) Non aliter de Naboneto, Babyloniorum rege, memoriae proditum est; nam Beroso auctore in Carmaniorum regione, extremos vitae dies tranquille degit.[3]) Sed fortasse aliquis obiecerit, Spitamam, maritum Amytis, quae filia Astyagis erat, a Cyro trucidatum esse. Cui in mentem revocaverim, Cyrum ad hoc facinus non crudelitate, sed regni sui ratione commotum esse. Amytis enim filia unica Astyagis et heres imperii Medici erat. Cum vero Medo, cui nomen erat Spitamas, nupsisset, Cyrus, marito occiso, ipse, ut solii Medici legitimus heres esset, uxorem eam duxit. Croesum autem interficiendi nulla causa aderat; nam nulla regni ratio mortem huius viri postulabat.

Sed Ctesias et Nicolaus Damascenus in hac historia narranda valde cum Herodoto dissentiunt.[4])

Ctesias enim rogum non memorat, sed Croesum in templum Apollinis fugisse ibique, a Persis ter in vincula missum, ter ope divina liberatum esse tradit.

Deinde eum, iterum in domo regia vinctum, iterum deorum auxilio inter fulmina et tonitrua servatum esse. Jure igitur videmur arbitrari, Herodoti narrationem prorsus non verisimilem esse; praesertim cum Ctesias in historia Persica fide et auctoritate, quae quidem in historia Assyria et Medica ab eo abiudicandae sunt, dignus sit; nam in aula Persica vixit historiamque suam ex tabulis publicis Persarum hausit, quare, ut in eum inquireretur, fieri potuit. Etiam Xenophon hoc factum silentio praeterit. Ad ea, quae de

---

[1]) cf. Herod. I. 130.

[2]) Ctesias Persic. c. 2.

[3]) cf. Joseph. contra Apion. I. 20. Euseb. Arm. ed. Mai p. 26, ubi traditum est, Nabonetum Carmaniae praefectum a Cyro creatum esse.

[4]) cf. fragm. Ctesiae § 4. (Baehr.) et Nicol. Damasceni fragm. hist. ed. Creuzer. pag. 207. sqq.

hac re iam disputavimus, accedit, quod Persae, quibus ignis tam sacer erat, ut ne spiritu oris quidem eum foedare vellent, certo eo ita abuti non potuerunt, ut hominem, qui culpa sceleris teneretur, igne cremare auderent.[1]) Quam ob rem nescio an Herodotus in hac historia narranda, ut permultis aliis locis, ingenio suo Graeco ductus fuerit. Quis enim ignoret illam historiam, qua traditum est, quomodo Deioces rerum Medicarum potitus esset? Nonne ea indolem prorsus Graecam spirat?[2])

Sed fortasse existimare licet, Croesum morte voluntaria vitam in rogo finire voluisse. Quod quidem ex duobus momentis quae apud ipsum Herodotum inveniuntur, elucere videtur. Cum enim quattuordecim iuvenes Lydos cum Croeso lignorum struem ascendisse dicat, quis est, cui Sardanapalus, qui se item, postquam omnia perdidit, cum mulieribus et omnibus opibus concremavit, non in mentem veniat, praesertim cum, ut supra iam demonstravimus, nihil crudelitatis, nihil inhumanitatis in Cyro inveniatur? Quare nemo, cur iuvenes innocentes capitis damnaverit, intelligere poterit. Alterum momentum in eo positum est, quod Herodotus sub finem narrationis Apollinem flammas imbre extinxisse tradit. Haec enim verba indicare videntur, Apollinem sacrificio, quod Croesus ei facere voluisset, renuntiasse et illius voluntate contentum fuisse.

Si vero Nicolai Damasceni narrationem sequimur, qui nobiles mulieres Lydas vestes pretiosas, gemmas, aurum, ornamenta ad rogum tulisse, Croesum ipsum ornatu regali in solio, quod in rogo stetisset, sedisse perhibet, dubitare non possumus, quin Lydi mortem regis sui sacrificium, cuius participes esse voluissent, arbitrati sint, quin Croesus ipse speraverit, morte voluntaria miseriam, qua imperium sua

---

[1]) Ipse Herodotus impietatem, Persarum quidem sententia, fuisse dicit, quod Cambyses Amasis regis funus combussisset.

[2]) Herod. I. 96 sqq. cf. I. 32. I. 89. I. 118. I. 132. III. 40. VII. 10, § 1. VII. 46.

culpa affecisset, se resarsurum, deorum iram placaturum et Cyrum quodammodo inter moriendum esse victurum. Ex his omnibus, quae de hac re disputavimus, satis perspicuum est, sua sponte Croesum vitae suae igne finem facere conatum esse.

Sed ad Herodoti locum iterum redeamus. Quis est cui non mirum sit, quod Herodotus per magnas ambages hoc factum narrat. Omnino enim nescit, quibus argumentis Cyri consilium probet, utrum Croesum tamquam primitias victoriae deo alicui immolare statuerit, an votum reddere voluerit, an, cum comperisset, Croesum hominem pium esse, videre voluerit, num deus eum a morte servaturus esset. Ex his autem ambagibus dilucide appareat, Herodotum id egisse, ut Graecia, illa sapientiae et eruditionis sedes, Orientis barbariae perspicue opposita, ex hac victoriam insignem reportaret. Quod propositum plane eo consecutus est, quod sapientiam unius ex septem Graeciae sapientibus in luce clara posuit. Factum igitur historicum, quod Herodotus memorat, nihil aliud est quam fundamentum narrationis.

Nunc ad alterum locum, qui apud Herodotum primi libri capite centesimo septimo et sequentibus invenitur, transeamus. Hic multis verbis Herodotus memoriae prodit, quomodo Astyages per somnium a filia sua, cui nomen Mandane erat, totam Asiam aqua inundatam viderit, quomodo interpretes deinde, hanc somni speciem interpretati, dixerint, Astyagis nepotem aliquando rerum potiturum esse. Astyagem, metu commotum, Mandanen filiam suam non Medo, sed viro e gente subiecta Persarum, cui nomen erat Cambyses, collocavisse. Deinde Astyages Herodoto auctore somniavit, ex filia sua vitem crescere, quae totam Asiam obumbraret. Interpretes hoc somnium eundem in modum ac prius interpretati sunt. Filia regis, e Persarum terra arcessita, Cyrum parit, quem Astyages Harpago interficiendum tradit. Hic vero, culpam caedis a se avertere studens, regis pastorem, cui nomen Mithradati inditum erat, adductum infantem exponere iussit. Sed pastor, cum comperisset,

puerum Mandanes filium esse, Spacus, feminae suae, infantem, qui mortuus in lucem editus erat, pro Astyagis nepote exponere, et hunc sui pueri loco educare statuit. Interea Cyrus, inter pastores adolescens, decem annos natus inter ludendum a ceteris liberis rex creatur et, muneris officiis fungens, Artembaris filium non obedientem castigat verberibus. Cyrum, a patre accusatum, Astyages cum Mithradate arcessit et nepotem agnoscit. Rex, de eo servato gaudentem se simulans, poenas crudeles ab Harpago repetit eo, quod ei ipsius filium genuinum in epulo cibi loco praebuit. Cyro pepercit et eum, cum magi regis somnia iam vera evasisse dixissent, quoniam nepos in ludo rex fuisset, ad patrem in Persarum terram demisit. Cyro adulto Harpagus epistola, quam in leporis exenterati ventre absconderat, persuasit, ut Persas ad seditionem commoveret. Quod quidem Cyro, cum Medorum imperium Persis odiosum esset, non erat difficile. Astyages, proelio orto, Harpagum ducem creavit et, cum hic ad Cyrum transfugisset, regnum amisit. [1])

Ita igitur hae res ab Herodoto perhibentur. Sed ipse apud alios scriptores tres narrationes plane diversas extare commemorat. Quae vero Herodotus de hoc facto tradit, quin veri dissimilia videantur, nemo est, qui dubitet, etiamsi illa miracula, quae scriptor ad narrationem ornandam adiungit, vera esse existimamus. Si Astyagi proles filiae suae timenda erat, mirum est, quod eam viro omnino collocaverit; quod si declinasset, omne periculum remotum mansisset. Sed tamen hoc facit, neque quidem cum Medo Mandane connubio coniungitur, sed cum viro e gente subiecta Persarum, qui, „quamquam e familia nobili oriundus erat, tamen tranquillum et placidum ingenium exhibebat“. Et quamvis Astyages eum „multo deteriorem quam Medum, qui in re modica constitutus esset, existimaret“,[2]) ita ut ab eo tutum se fore posset sperare, tamen matrimonio in familiam regiam eum recepit et,

[1]) Herod. I. 107—130.
[2]) Herod. I. 107.

cum filiis orbatus esset, successionis ius ei concessit. Id si iam mirum est, tamen, quod puero, postquam eius veram originem cognovit, avus pepercit, mirabilius est, et quid denique magis mirum esse potest, quam quod eum non in aula regia callide retinet atque custodit, sed ad patrem in Persidem remittit? Quem vero Herodotus commoveat, ut Astyagi a magis persuasum esse credat, somnia iam vera evasisse, quoniam puer in ludo rex fuisset, ita ut avo nullum iam periculum ab eo impenderet?

Sed si haec omnia concedamus, quare Cyrus adversus avum seditionem concitaverit intelligere non possumus, praesertim cum Astyagis iam longius aetate provecti successor designatus fuerit. Equidem nescio an Astyages gentis Medicae proceres segnitie et crudelitate ad seditionem concitaverit, et hi Cyro persuaserint, ut ab avo descisceret; sed tamen ne hoc quidem verisimile esse videtur; nam Medi, opinor, qui nimis suam gentem admirabantur aliasque contemnebant, regnum et imperium ad quemlibet alium, qui erat Medicae gentis, pervenire maluissent, quam ad virum gentis Persicae, quamvis hic Astyagis nepos esset.

Cyrum autem ab Harpago epistola tam artificiose transmissa ad seditionem concitatum esse, item prorsus verisimile non est; nam scriptura, quae tunc usitata erat, scripturam cuneatam dico, ad epistolas scribendas apta non erat. Deinde extricare omnino non possumus, ad quid haec insolita occultatio spectet; nam usus peregrinatores explorandi, quod ego sciam, in imperio Medico non tam excultus erat, quam posterioribus temporibus in regno Persico. Ibi enim unusquisque, quotiescunque ad castra, quae in viis publicis ad explorandos peregrinatores aedificata erant, pervenerat, ab hominibus in speculis observantibus, quemadmodum sese unusquisque gereret, accurate et acerbe excutiebatur, et omnes epistolae solvebantur; quare Histiaeus, ut notum est, in servi capite epistolam scripsit. Hae causae, quas nunc ipsum memoravimus, Herodoti narrationem iam dubiam relinquunt.

Sed nunc etiam ea, quae alii scriptores de hac re memoriae tradunt, audiamus, e quibus praecipue Xenophontis et Ctesiae ratio nobis habenda est, cum ceteri scriptores ex his fontibus historiam suam potissimum hauserint. Nicolaus Damascenus enim Ctesiam fere sequitur, sed facta multis et magnis miraculis exornat; Justinus narrationem Herodoteam cum Ctesiana miscet.

Si igitur Xenophontem sequimur, Cyrus item Cambysis et Mandanes filius apparet; Cambyses autem apud eum Persarum rex est, et Mandane, ut apud Herodotum, filia Astyagis, regis Medorum. Astyage mortuo, Cyaxares, filius eius, Medorum imperium suscipit, atque Cyrus, qui post mortem Cambysis, patris sui, Persarum rex factus erat, Cyaxarem avunculum, cui discordiae cum Assyriis, Armeniis, Hyrcaniis, Lydis ortae erant, adiuvat. Denique Medorum regnum et imperium, cum Cyaxares liberis orbatus mortuus esset, hereditate ad Cyrum pervenit.[1])

Ctesias Astyagis filiam Amytim nominat, quae, Medo Spitamae in matrimonium collocata, duos filios, Spitacem et Megabernem, parit. Cyrus autem, qui cum Astyage propinquitate coniunctus non est, hunc regno privat et usque ad Ecbatana persequitur. Hic Amytis patrem in domum regiam abscondit, et Spitamas Cyro se nescire affirmat, ubi rex sit. Postremo indagatus, vinculis adstringitur, deinde vero liberatur, et Cyrus, qui ut parentem eum colebat, in terra Barcaniorum locum ac sedem ei paravisse dicitur. Spitamam vero Cyrus trucidavit, quod mentitus esset; Amytim, eius coniugem, quae Astyagis filia erat, ipse in matrimonium duxit. Astyagis nepotes, Spitacem et Megabernem, in comitatu Cyri amplis et magnificis muneribus fungentes invenimus.[2])

Herodoteam narrationem iam supra examinavimus et ob rationes e rerum ipsarum nexu desumptas reiecimus. Eodem modo nunc ea, quae Xenophon et Ctesias tradunt,

---

[1]) Xenoph. Cyrop. VIII. 5, 19.
[2]) Ctes. Pers. c. 2.

volumus ponderare et investigare, uter maiore fide et auctoritate dignus sit.

Xenophon quidem, qui miracula repudiat, magis ad fidem historiae quam Herodotus se applicat, sed tamen Cyaxaris et Cyri facta miscet et confundit. Hunc hereditate ad regnum pervenientem facit, quod seditiones libro suo, narrationem fictam et ad docendum aptam continenti, non conveniebant. Cyrum enim ut exemplum fortitudinis, sapientiae, iustitiae fideique constituere vult.

Nunc etiam Ctesiae narrationem volumus perpendere et videre quanti haec aestimanda sit. Ctesias, ut supra iam diximus, Cyrum nulla propinquitate Astyagem attigisse affirmat et summo quidem cum iure. Anni enim sexcentesimi decimi pridie Calendas Octobres Medi et Lydi, solis defectione, quam Thales Milesius praedixerat, commoti, proelium iam ortum intermiserunt atque, Syennesi et Nabopolassare intercedentibus, pacem fecerunt. Ad stabiliendam amicitiam nuptiae mutuae conciliatae sunt. Astyages, Cyaxaris filius, Aryenim, Alyattis filiam, in matrimonium duxit, et Nebucadnezar, Nabopolassaris filius, cum Amyti, Cyaxaris filia, connubio coniunctus est.[1]) Cicero autem Cyrum, cum rerum potiretur, sive, ut mox demonstrabimus, anno quingentesimo duodesexagesimo, iam quadraginta annos natum fuisse censet.[2]) Ergo Cyrus anno quingentesimo nonagesimo octavo natus videtur. Hoc vero anno Astyagem, qui, ut supra ostendimus, anno sexcentesimo decimo uxorem sibi adiunxerat, filiam puberem iam habuisse plane absurdum est; ergo Cyrus Astyagis nepos non potuit esse.

Ita se res habebit, si comprobaverimus, Cyrum anno quingentesimo duodesexagesimo ad regnum Medicum pervenisse. Canone Astronomico teste Cyrus anno ducentesimo undevigesimo Aerae Nabonassaris, sive quingentesimo undetrigesimo a. Chr. n. mortuus est. Darius autem anno quinto

---

[1]) Herod. I. 74.
[2]) Cic. de div. I. 23, 46.

post pugnam apud Marathonem factam[1]) (anno quadringentesimo octogesimo quinto a Chr. n.), postquam Herodoti et Canonis Astronomici testimonio per triginta sex annos[2]) regnavit, mortem obiit. Ergo anno quingentesimo vicesimo uno regnum occupavit. Ante Darium autem magus quidam per septem menses regnavit et ante hunc Cambyses per septem annos et quinque menses. Ergo Cambyses anno quingentesimo undetricesimo imperium a patre accepit. Cum vero Cyrus, ut Herodotus narrat, [3]) post Astyagem victum undetriginta annos regnaverit, hi ad annum quingentesimum undetricesimum addendi sunt, et ita pervenimus ad annum quingentesimum duodesexagesimum, sive ad annum quo Cyrus rerum potitus est. Ctesias quidem Cyrum per triginta annos regnantem facit. Sed nescio an hic historicus annum, intra quem Cyrus bellum contra Medos paravit, ad regni annos addiderit. Fortasse hunc nodum expedire possumus, statuentes, Cyrum triginta annos in Perside a morte Cambysis, patris sui, et undetriginta post Astyagem regno privatum regnasse.

Omnino Ctesias in eis, quae de Cyri origine refert, fide magis dignus est quam ceteri autores. Id cum in tota narratione cognoscitur, tum in eo, quod secundum Ctesiam Astyages filiam suam non Persae sed Medo in matrimonium collocat. Nam Medos, qui alias gentes prae se contemnebant, hoc matrimonium non permissuros fuisse consentaneum est.

Astyages filiae nuptias potius prohibuisset; an putas, eum, si nulla alia re potuisset impediri, vitae filiae parsurum fuisse?

Quod Cyrus posthac ad stabiliendum imperium successorem legitimum Astyagis praetextu ex religione ducto interficit, non mirum nobis videri potest, si consideramus,

---

1) Herod. VII. 1—4.
2) Herod. VII. 4.
3) Herod. I. 214.

quantum vitium apud eam gentem mendacium fuerit. Et si Bactros obstinate restitisse Ctesias narrat dum eis nuntiatum esset, Cyrum, Spitama occiso, Amytim in matrimonium duxisse,[1]) hoc factum argumentis magis confirmatum et verisimilius est quam id, quod Herodotus narrat, Cyro Asiam superiorem denuo subigendam fuisse; nam per uxorem Amytim Cyrus ius ac potestatem imperii Medici obtinuit, et non est, quod miremur, si Bactri se deinde ei subiecerunt.

Hae causae plane nos commovent, ut narrationem Ctesianam Xenophonteae et multo magis Herodoteae praeponamus, illam tantum fide dignam existimantes. Apud Herodotum igitur nihil hoc loco nisi fictam et commentitiam fabulam invenimus.

Postremo hanc narrationem Herodoteam in singulas partes dividere et, si fieri poterit, ostendere, ad quas gentes singulae partes pertineant, conabimur, ut ita tamquam medullam historicam enucleemus.

Ea pars, qua Cyro modo nato maxima pericula impendisse narratur, sine dubio ad ornandam historiam a Persis inventa est. Nam Persae beneficiorum memores, vitam illius viri, qui regnum Persicum fundaverat, maximis laudibus efferre studebant, quare Astyagem de nepote non iam nato somniantem fecerunt, quo eius dignitatem futuram praedicerent. Item ea pars, qua puer manifestum mortis periculum mire effugisse traditur, e fonte Persico emanavit. Ut enim Romani conditorem suae urbis, cum expositus esset, a lupa, quod animal Mars prae ceteris amabat, enutritum esse narrabant,[2]) ita Persae conditorem sui imperii a cane femina, quod animal Ahuramasda, maximus Persarum deus, in oculis gerebat, a morte servatum esse dicebant! Quin hac fabula ficta significetur deorum gratia et benevolentia Cyrique futura magnitudo, nemo est, qui dubitet, praesertim cum Justinus ita rem memoriae prodat. Ipse Herodotus fabulam initio talem fuisse non negat, cum Mithradatis coniugi nomen

---

[1]) Ctes. Pers. c. 2.

[2]) cf. Liv. I. 4.

Spacus sive canis feminae inditum fuisse concedat; quare Cambyses dixisset, puerum a cane femina nutritum esse,[1]) Cyrum ipsum postea semper de cane femina locutum esse. Herodotus autem hanc fabulam ita conformavit, ut ea rationi non repugnet, cum, quae de cane femina tradebantur, ipsi incredibilia esse viderentur. Quare Spaco Mithradatis coniugem fuisse memorat. Mithradatem ab hac fabula Persica alienum non esse nomine ipso, quod eum, qui a maximo deo datus est, significat, satis declaratur. Hae igitur sunt partes narrationis Herodoteae, quae e fonte Persico haustae sunt. Sed ea pars narrationis, qua Mandane Astyagis filia fuisse perhibetur, sine dubio a Medis profecta est; nam haec gens, quae se nimis admirabatur ceterasque gentes contemnebat, concedere plane non potuit, ut peregrinus, pulsa familia principatum tenente, rerum Medicarum potiretur, quam ob rem Cyrum legitimae stirpis regiae prolem esse finxit. Herodotus vero ea, quae a Persis acceperat, cum eis, quae Medi ei tradiderant inserta expositi pueri narratione conglutinavit. Haec autem narratio inserta fulcitur admonitionibus, quas Astyages per somnum a deis olim accepisse dicitur. Harpagus Medus forsitan eam ob causam memoratur, quod posteriore tempore apud Cyrum maxima auctoritate vigebat.

Ad haec duo narrationis elementa accedit, quod Herodotus eam, ut eius mos est,[2]) omnino ad Graecorum ingenium effictam tradidit. Nonne inviti admonemur Oedipi expositi, non, cum Harpagi filium caesum esse audimus, Thyestae liberi, quos Atreus trucidaverat, nobis in mentem veniunt? Et quis est, qui, cum Herodotus narrat, Harpagum ab Astyage ad coenam invitatum et, quod puer a morte servatus esset, sacra ad gratias agendas facta esse, in his non cernat morem Graecorum? Quod unicuique mensa separata conquisitissimis epulis extruitur, hoc item Graeca est consuetudo.

---

[1]) Herod. I. 122.

[2]) cf., Herod. I. 32. I. 89. I. 118. I. 132. III. 40. VII. 46. VII. 10, § 1.

Ex talibus igitur elementis Herodotus narrationem suam composuit. Si vero ex illa ea, quae etiam ceteri historici perhibent, enucleaverimus, extabit illud, quod solum fide historiae dignum est. Primum omnes historici consentiunt, Cyrum in aula Medica vixisse et Astyagis oculos in se convertisse. Neque scio an ad veritatem accedat, Astyagem deinde dubitasse, Cyrum in Persidem remittere, quod Cambyse mortuo, vitare non potuit, nisi forte eum a munere, quo eius maiores ibi functi erant, arcere volebat. Item verisimile est Astyagem Cyri seditioso animo concitatum esse et eum poenituisse, quod adolescentem in Persidem misisset, Cyrum autem, cum Astyages ipsi diffideret, commotum esse, ut celerius, quam statuerat, deficeret.

Hoc vero constat, Cyrum a principum genere, quod, postquam Phraortes imperio Medico Persas subiecit, regia dignitate fungebatur, ortum esse. E familia Achaemenidarum seniorum, quorum prosapia apud Herodotum (VII. 11.) et in inscriptione Bisitunea (I. v. 3—8.) notata est, Teispes in Perside Achaemenem, qui Phraortis, regis Medici, aequalis erat, secutus est, Teispem Cambyses et Cambysem Cyrus. Cum vero Achaemenes Phraortis aequalis sit, Teispem, singulorum aetatis ratione habita, Cyaxaris et Cambysem Astyagis aequalem esse necesse est. Cambysis autem filius fuit Cyrus, atque Xenophon, eum Cambysis, regis Persarum filium nominans, non errat, quamquam addere intermittit, hunc Persarum regem Astyagis clientem fuisse. Etiam ex Herodoto haec Cambysis conditio quodammodo apparet.[1])

Si igitur, ea, quae ad historiam exornandam addita sunt, tollentes, omnia iterum paucis verbis in unum colligimus, summa totius narrationis haec est. Cyrus, qui genere suo princeps quidem Persarum sed regis Medici cliens est, Persas liberare studet. Medos aggressus, vincit, domum regiam imperio privat, et ipse rex fit Persarum Medorumque nemini parens.

---

[1]) Herod. I. 107. I. 125. I. 126. VII. 11.

Nunc ad illum locum pergamus, quo Herodotus narrat quomodo Cyrus mortem obierit, et eum eodem modo examinemus, quoniam hic quoque veri dissimilia perhibet.

A capite ducentesimo primo usque ad caput ducentesimum quintum decimum primi libri Herodotus nobis tradit, quomodo Cyrus, adversus Massagetas pugnans, ceciderit. Tomyrim, Massagetarum reginam, a Cyro ad nuptias expetitam esse. Cum illa matrimonium propositum detrectavisset, Cyrum magno cum exercitu ad Iaxartem flumen profectum illudque traiecere conatum esse. Interea eum nuntiis missis a Tomyri admonitum esse, ut a conatu desisteret. Si vero Massagetarum vim experiri vellet, se, ut ipse facilius transire posset, trium dierum itinere in terram regressuram esse dixit. Sin Cyrus ipsam expectare mallet, ut idem faceret, postulabat. Sed Croeso auctore Cyrus per flumen transgredi statuit, quare Tomyris recessit. Cyrus, postquam Cambysem filium remisit et ei imperavit, ut Croesum, si ipse non reversurus esset, honoraret, eam secutus est. Cum in ripa contraria esset, Darium, Hystaspis filium natu maximum, qui in Perside relictus erat, noctu per somnum duas alas magnas in humeris habentem vidit, quarum altera Asiam, altera Europam obumbrabat. Cum Cyrus unius diei iter ultra Iaxartem fecisset, inutilem exercitus partem et impedimenta cum magna cibi et vini copia in castris reliquit; ipse autem cum maxima et optima parte militum ad amnem revertit. Deinde Massagetarum pars Spargapise, Tomyris filio, duce ad castra venit, et hostes, trucidatis eis, qui relicti erant, cum cibum et potum consumpsissent, mox, vino onerati, somno consopiti sunt. Tunc Cyrus eos nihil opinantes improviso invasit, multos necavit multoque plures cepit, inter quos etiam Spargapises erat. Tomyris filium a Cyro per nuntium repetiit et ipsum sanguine se satiaturam minata est, nisi eum remisisset. Cum Cyrus id recusavisset, Spargapises, crapula edormita, sibi, postquam vincula ei soluta sunt, sua manu mortem intulit. Tunc regina toto cum exercitu adventabat; proelium terribile oriebatur, quo maxima Persarum pars cecidit. Inter

caesos etiam Cyrus inventus est. Tomyris regis caput amputatum in utrem sanguine completum immersit et, quae minata erat, executa est. Haec de Cyri exitu memorantur. Quae quamquam Herodotus satis distincte enarrat, tamen ita se res referre, ut vere evenerint, minime contendit. Ipse enim ex multis narrationibus, quae vulgo de Cyri morte ferrentur, eam solam, quae ipsi verisimillima esse videretur, sequi sese profitetur.[1]) Ceterorum igitur scriptorum narrationes quam rebus mirabilibus exornatae fuerint, cum ex ipso Herodoto coniicere licet, tum ex eis, quae a Diodoro et Justino memoriae produntur.[2]) Ille enim, quamquam aliis locis non dubitat, tales fabulas referre, tamen hic ceteris verisimiliora se tradidisse affirmat. Sed nihilominus ipse a rebus miris admiscendis minime sese abstinuit. Praeterea tota narratio colorem tam poeticum exhibet, ut nullo modo dubitare possimus, ei fidem denegare. Quis enim est, qui, cum initio legit, quomodo Cyrus ad nuptias Tomyrim expetiverit, et haec eum in Massagetarum terram venire vetuerit, fabulam Milesiam vel narrationem amatoriam incipere, non credat? Nec minus cetera narrationis momenta inter res fictas referenda sunt. Cyri somnium et praesagium dico, Tomyris sinceram agendi rationem et probitatem, quae Croesi fraudi et dolo opponitur, admonitiones reginae, quae non dubitat, quin incepta sua prospera futura sint, Massagetarum post victoriam epulantium cladem, Tomyris filium, qui, ira commotus, quod ebrius captus esset, sua manu sibi mortem conscivit, matris lamenta et vindictam, utrem sanguine completum, in quem Cyri caput iniicitur, denique id, quod Croesi consilium Cyro malum affert.

Ergo verisimillimum est, carmina de Cyri vita et factis iam saeculo quinto extitisse, quorum materia erat memoria historica et fama, quae ferebatur in ore populi. Nam Xenophon pro certo affirmat, Cyrum suo adhuc tempore (anno

---

[1]) Herod. I. 214.

[2]) cf. Diod. II. 44. Justin. I. 8.

a. Chr. n. quadringentesimo) apud Persas carminibus celebratum esse.[1]) Herodotus vero, qui in scribenda historia populi rumores fere sequebatur, haec fama accepta, ubi auctores fide digni ei deerant, narrationi de Cyro traditae inserebat. Ergo facere non possumus, quin ea, quae Herodotus de Cyri fine prodidit, poësi multum exornata, a fide historica aliena esse contendamus.

Sed tamen, ut hunc locum accuratius perpendamus, ceterorum quoque scriptorum, qui de Cyri morte retulerunt, locupletissimos respiciamus.

Et Diodorus quidem narrat, Cyrum in potestatem Tomyris vivum venisse et in cruce mortem obiisse,[2]) Justinus autem prodit, Tomyrim, cum filius per Cyri dolum cecidisset, item, per speciem fugientem, ad dolum confugisse et Persas, in angustias, in quibus insidiae paratae fuissent, inductos, omnes una cum rege trucidasse, ita ut ne unus quidem, qui cladem nuntiare posset, relictus esset.[3])

Polyaenus vero Herodoti narrationem plane invertit, cum Massagetas per speciem fugisse et Persis castra, cibo et potu referta, reliquisse tradat. Deinde Persas, post epulum a Tomyri noctu subito invasos omnes una cum rege caesos esse.[4]) Omnibus his scriptoribus, qui Cyrum vivum vel necatum in hostium manus incidisse perhibent, opponendus est Ctesias, qui eum in Persarum castris mortuum esse dicit. Argumentum autem totius narrationis hoc est. Cyrus Derbiis bellum infert, his vero Indi cum elephantis auxilio veniunt. Derbii, elephantos in insidiis locantes, hoc dolo Cyri equites fugabant. Persarum rex ex equo cadebat, et, cum humi iaceret, miles Indus eius femori vulnus infligebat. Tunc, a suis inventus, in castra Persica ferebatur. Decem milia militum utrobique iam ceciderant, cum Amorges, Sacarum rex, cum viginti milibus equitum adhuc integrorum

---

[1]) Xenoph. Cyrop. I. 2.
[2]) Diod. II. 44.
[3]) Justin. I. 8.
[4]) Polyaen. VIII. 28.

adventavit, proelium denuo commisit et una cum Persis Derbios fudit et fugavit. Cyrus vero, cum mortem appropinquare sentiret, in castris testamentum composuit. Duos enim filios habebat, Cambysem et Bartjam,[1]) qui quidem ex eadem matre orti erant, ex Amyti Ctesia auctore, ex Cassandane teste Herodoto. Cambysem filium maiorem natu, ipsi in regno succedere iussit, Bartjam, minorem natu, Bactrorum Chorasmiorum, Parthorum, Cermanorum terrae praeposuit. Liberos admonuit, ut Amytim eiusque consilium honorarent, dextra data eos promittere coegit, in mutua amicitia se permansuros esse. Postremo ei, qui erga alios benevole se gesturus esset, bona vaticinabatur, mala vero ei, qui peccaturus esset. Hoc modo Cyrus tertio die post vulnus acceptum in castris Persicis tranquille mortem obiit.[2])

Simili modo Xenophon eum, postquam apud filios et Persarum principes orationem habuit, placide morientem facit.

Sed quae ex his diversis narrationibus fide et auctoritate digna sit, nunc quaerendum est.

Herodotum quidem hic omittendum esse, iam ex eis, quae supra disputata sunt, elucet. Neque aliter de Diodoro et Justino iudicandum est, cum uterque etiam magis quam Herodotus ornandi causa ad mirabilia et poetica confugerit. Et ipse Xenophon, quamquam hic magis quam ceteri scriptores cum Ctesia consentit, tamen levis auctoritatis est, quoniam opus eius non tam vera quam ficta et ad docendum composita narratio est.

Quae vero Ctesias de Cyri morte prodit, ea plane fide digna sunt, aeque atque illa, quae de eius ortu et iuventute tradidit; nam primum Ctesiae narratio simplex et ieiuna est, nihil fabellarum mirabilium in ea invenitur, et hac re

---

[1]) Herodotus filium natu minorem ubique Smerdem nominat; Ctesias et Xenophon Tanyoxarcem. Ex inscriptione Bisitunea apparet ei nomen Bartjam fuisse. Eadem inscriptio testatur, ambos eiusdem matris filios fuisse; I. 10.

[2]) Ctes. Pers. 9.

sola magnam iam probabilitatem scriptor sibi vindicat. Deinde Ctesias, quod omittendum non est, eo, quod facta accurate narrat, se certis fontibus Persicis usum esse testatur; et non solum ei occasio erat ex his hauriendi, cum in aula Persica viveret et tabulis publicis uti ei liceret, sed etiam id facere cogebatur, quod eius historia examinari poterat. Denique id conditioni et tempori consentaneum est, quod Ctesias Cyrum ante mortem liberos hortantem facit, nec minus apta est Satrapiarum divisio.

Cum autem constet, Cyrum adversus eas nationes, quae ad orientem versus habitabant, bellum gessisse et unam gentem in montibus, quibus nomen est Hindukuh, sibi subiecisse,[1]) credibile est, eum periculum fecisse, in has regiones longius progrediendi, etsi Derbiorum, quos Stephanus Byzantius Indis vicinos fuisse dicit, nomen alioquin ignotum est.

Sed fides et auctoritas Ctesiae eo in clarissima luce ponitur, quod Cyri funus Pasargadis conditum erat; ubi enim ille rex magnus sedem dominationis habuerat, ibi etiam sepulcrum invenit. Quare ceteris scriptoribus omnino non concedendum est, Cyrum vel necatum vel vivum in Massagetarum manus incidisse. Longum est, tumulum, qui in horto amoenissimo situs erat, eius ornamenta et loca quae circumiacebant, accuratius describere, unum tantum memorasse satis erit.

Magi, quos Darius Ecbatanis illuc misisse dicitur, et quorum munus a patre hereditate filio relinquebatur, Cyri sepulcrum custodiebant.[2]) Alexander Magnus, quum in has regiones venisset, tumulum cum omnibus ornamentis inviolatum et a magis adhuc custoditum invenit.

Situs quidem Pasargadarum dubius est, sed tamen verisimillimum est, eam regni sedem apud oppidulum, cui nunc nomen est Murghab, vel in eis locis, quae adiacent, fuisse.

---

[1]) cfr. Arrian. Ind. I. 1.

[2]) cfr. Ctes. Pers. 9. Arrian. Anab. VI. 21. Strab. p. 730. Plin. VI. 29. Plut. Alex. 69. Curtius narrat nisi Cyri clipeum, duos arcus Scythicos et gladium nihil in monumento fuisse. X. 1.

Quamquam multi (cum Ptolemaeus et Plinius (VI. 29. VI. 4.) Pasargadas ad orientem versus sitas fuisse dicant, et Alexander Magnus, ex India revertens, primum Pasargadas et deinde, ut opinantur, Persepolim venerit,[1]) Pasargadas esse urbem, cui nunc nomen Darabgerd est inditum, existimant, tamen ex hoc nomine, quod Darii urbem significat, effici non potest, hoc loco Pasargadas sitas fuisse. Quis enim est, qui neget, Alexandrum a Carmania etiam per oppidulum, cui nunc nomen Murghab est, iter facere potuisse. Cum igitur ea, quae fama de hac re traduntur, incerta sint, cumque parietinae, quae apud Murghab inventae sunt, non minus quam epitaphium, cum eo, quod Onesicritus memorat, consentiens, huic oppidulo situm Pasargadarum vindicent, in hac opinione licebit acquiescere.

Hic igitur in planitie, quae parietinis referta est, aedificium assurgit, quod marmoribus magnis et politis extructum est. Iuxta hoc aedificium est marmor quindecim pedes altum, in quo figura gracilis conspicitur, quattuor alis exornata, super quam haec verba leguntur: „Ego sum Cyrus rex, Achaemenides.“

His argumentis narratio Herodotea refutata et Ctesiana fide digna firmata videtur.

Si vero Herodoti narrationem in singulas partes dividere et ad quas gentes haec elementa pertineant, indagare conamur, duae partes discernendae sunt. Narrationis pars maior, in qua Cyrus hostibus inferior discedit e fonte Medico manavit; nam quid Medis optatius esse potuit, quam ut eversorem sui regni, cui semper irascebantur, turpi morte vitam finivisse traderent, hac certe narratione ab eo poenas quodammodo repetentibus. Altera autem narrationis pars, in qua Cyrus per somnum videbat, ut Darius, filius Histaspis et caput Achaemenidarum iuniorum, altera ala Asiam, altera Europam obumbraret, originem Persicam redolet; nam in ea splendor, ad quem Darius priscum principum Persicorum

---

[1]) cfr. Arrian. VI. 29. 30.

genus denuo revocaturus sit, imagine somnii significatur. Illa igitur sunt duo elementa, ex quibus Herodotus narrationem suam artificiose composuit.

Quaerentibus vero nobis, quomodo narratio Herodotea orta sit, verisimile visum est, bella, quae Cyrus in regionibus circa Oxum et Iaxartem sitis[1]) adversus Sacas et Massagetas gessit, illius narrationis materiam dedisse. Hanc famam poetas exornavisse constat, et cum Cyrus a Sacarum regina re vera victus esset, hoc facto commoti sunt, ut eum, qui totam Asiam domuit, certamine cum muliere orto victum esse traderent, quam narrationem eximiam vim poeticam habituram esse sperabant. Dolus, quo castra cibo et potu conferta Massagetis spolianda relicta esse dicuntur, iam in bello contra Sacas gesto adhibitus erat.[2]) Ut vero Cyrus a Sacarum regina vinceretur et castra diripienda relinquerentur, praeter expectationem acciderat, et haec facta novitate alliciebant. Quare scriptores, eis ad narrationem exornandam libenter usi, Cyrum, praesertim cum in pugna cum Derbiis facta, qui item, ut Massagetae, orientem versus habitabant, vulnus accepisset eoque interisset, cum Massagetis proeliantem, ab eis necatum esse tradiderunt. Sed hoc unum mirum est, quod Tomyris regina ubique Cyro superior discedit, qui nisi princeps terrarum expugnandarum cupidine, fraude atque immani saevitia ductus nunquam apparet, quare poenam, quam meruit, etiam invenit. Sed tamen illud factum probare poterimus, si consideraverimus, eam narrationem ex Medico aut certe a Persarum gente alieno fonte manavisse.

Ita igitur nescio an narratio Herodotea orta sit. Cum vero Herodotus talem dei providentiam et iustitiam sibi effinxerit, ut peccata et scelera iusta poena et bene facta merces digna sequeretur, atque hanc cogitationem permul-

---

[1]) Cyrum in eis regionibus bellum gessisse, Cyroschata, oppidum munitum in confinio Sogdianae, cuius in hac occasione fit mentio, satis demonstrat.

[2]) cfr. Strab. p. 512.

tarum narrationum conformatione expresserit et nimio quidem cum studio,[1]) forsitan aliquis contendat, Herodotum hoc quoque loco suae opinioni indulsisse et eam narrando expressisse. Sed tamen hanc coniecturam argumentis comprobari posse non existimamus, cum illa narratio propriam habeat naturam, et Herodotus omnibus locis, ubi suam de rerum humanarum ratione doctrinam exemplis illustrare vult, eam minus absconditam quam hoc loco proferat. Neque vero negare volumus, Herodotum ex diversis narrationibus, de morte Cyri traditis, eam potisimum elegisse, quae illi de dei providentia et iustitia sententiae responderet.

Ergo Herodotus in hac narratione tradenda non morali consilio ductus videtur.

Magna difficultas, de qua iam saepius disputatum est, nobis capite quinquagesimo sexto libri primi occurrit, ubi Herodotus, Pelasgos et Hellenes memorans, Jones solos fuisse Pelasgos et, quando Jones a Doriensibus distinguere vult, Dorienses solos fuisse Hellenes contendit. Quam rem cum in quaestionem vocare magnopere delectet, eam difficultatem, Herodoto repugnantes, removere conemur.

Ex tota igitur narrationis conformatione apparebit, omnes Graecos praeter Dorienses Pelasgos fuisse, eos vero Pelasgos, qui Herodoti adhuc tempore Crestonis, Placiae Scylacesque regionem incolebant, eadem quidem lingua usos esse, sed tamen non illa, qua Hellenes, qui circa eos habitabant.[2]) Ex hac re Herodotus concludit, omnes Pelasgos lingua barbara locutos esse, et eos Pelasgos, qui posteriore tempore in Graecia nomen Pelasgorum sibi indidissent, Jones, Aeoles, Arcades, alii, linguam suam mutavisse.

Cum igitur apud Herodotum Pelasgi et Hellenes distincte inter se oppositi sint, apparet, antiquissimos Graeciae incolas neque unam gentem neque unius originis fuisse, et viri docti, hoc testimonio commoti, usque ad recentiora tem-

---

[1]) cfr. Herod. I. 91. III. 43. III. 63—65. IX. 16.
[2]) Herod. I. 57.

pora idem fere crediderunt; quare antiquissimos Graeciae incolas in duas partes dividunt, in Pelasgos et Hellenes, illosque ab his subiectos esse arbitrantur.

Quod si recte disputatum esset, negare non possemus, in Graecia antiqua regnantem gentem et obedientem fuisse, nec dubium esset, quin antiquissima Graeciae eruditio a posteriore plane diversa esset. Atqui hoc nullo modo quisquam contendere poterit. Nam fama antiquissima nihil proeliorum, quae inter Pelasgos et Hellenes orta fuerint, perhibetur, quod certo fieret, si Hellenes in servitutem Pelasgos redegissent, quoniam gens a gente se libertate privari nunquam passa est, quin resisteret. Tum quod Herodotus censet, Pelasgos barbara lingua usque ad illud tempus usos esse, quo cum Hellenibus coaluissent, nos quidem perspicere non possumus, quomodo Hellenes in Attica barbaram Pelasgorum linguam superaverint. Quamquam enim Dorienses, quos Herodotus eandem nationem atque Hellenes fuisse dicit, Atticam nunquam in ditionem redegerunt, tamen gentem Atticam, quae Pelasgica fuisset, cum in Hellenes transmutaretur, horum etiam sermonem sibi vindicasse contendit.[1]) Quod veri prorsus dissimile apparebit, si consideraveris, populos non facile lingua se abdicare, et gentem lingua apud alias nationes tum parum valere, cum quod quidem Doriensibus acciderat, ei viri facundi et ad excolendam linguam imprimis idonei desunt.

Sed si res tamen ita se haberet, duo elementa diversa in lingua Graeca dignosci possent, quorum nulla vestigia reperiuntur. Ad haec argumenta accedit, quod ei, qui ab antiquissimis temporibus Arcadiam incolebant, — nam Arcadiam quoque Dorienses nunquam occupaverunt — quamquam lingua, cultu deorum, moribus, institutis ab Hellenibus diversi non erant, tamen aeque ac Perrhaebi etiam posteriore tempore, cum Hellenum nomen commune iam erat, Pelasgi nominabantur. Denique ipse Herodotus Pelasgis insignes et

---

[1]) cfr. Herod. I. 57.

Graecorum proprias caerimonias tribuit, Herae,[1] Hermae, Dionysi cultum, Thesmophoria;[2] et in eis regionibus, in quibus Pelasgi habitasse certa fama traduntur, in Thessalia et Argis, aetate heroïca, antequam Thessali et Dorienses in has provincias migraverunt, res iam laetissime effloruerant.

Alia quoque de causa errare Herodotum, cum Pelasgorum linguam barbaram fuisse contendat, possumus demonstrare. Dialectus enim Aeolica, omnium dialectorum Graecarum veterrima, linguae Latinae finitima est, quare summo cum iure dialectus Graeca una cum Latina dialectus Pelasgica nominatur. Si vero Herodotus illos Pelasgos, qui circa Hellespontum Crestonem, Placiam, Scylacen urbes habitabant, barbaros fuisse tradit, non videtur errasse; nam Thucydides hac in re cum eo consentit.[3] Sed idem scriptor hos Pelasgos, quo eos ab illis, qui Graeciae antiquissimi incolae erant, distinguat, eodem loco Pelasgos Tyrsenicos nominat, quos multo posteriore tempore ortos esse constat. Quocirca, si quis, cum hi barbari fuerint, etiam Pelasgos antiquos barbaros fuisse efficere velit, maxime erret.

Praeter haec argumenta, quibus Herodotus plane redarguitur, etiam ex historia testimonia, quibus illa probantur et quasi fulciuntur, depromere possumus. Thucydides enim prodit, Pelasgos maximam Graeciae partem habitasse, et eam, antequam Hellen eiusque filii Phthiotidem occupavissent, nullo nomine communi usam, singulas vero provincias nominibus diversarum gentium nuncupatas esse. Hellenes autem a Pelasgis nullo modo diversos fuisse, inde elucet, quod omnes illae gentes, cum Hellen eiusque filii inter ceteras gentes, in quarum numero etiam Pelasgi erant, principatum tenerent, Hellenum nomen sibi indiderunt. Ergo omnes Graeciae gentes nomen commune tantum sibi imposuisse,

---

1) cfr. Herod. II. 50.
2) cfr. Herod. II. 171.
3) cfr. Thuc. IV. 109.

nec Pelasgos expulsos esse constat.[1]) Etiam Hecataeus cum Herodoto in eo consentit, quod Pelasgos et Hellenes duplicem appellationem eiusdem populi esse existimat,[2]) atque Dionysius Halicarnassensis clare et aperte: *τὸ τῶν Πελασγῶν γένος Ἑλληνικόν.*[3])

Sed quaeritur, quomodo Pelasgorum nomen evanescere atque in eius locum Hellenum nomen substitui potuerit. Dodona igitur, Epiri urbs insignis, quae carminum Hesiodeorum testimonio Pelasgorum sedes[4]) et antiquissimum domicilium eruditionis Graecae est, Pausania auctore Hellas nominata est.[5]) Thessali vero, cum anno a. Chr. n. millesimo ex Epiro ad orientem versus proficiscerentur et in Penei valle fertili, quae, usque ad illud tempus Haemonia,[6]) tum Thessalia vocata est, domicilium collocarent, narrationes Epiroticas, vulgi ore propagatas, nomina Dodonae, Hellados Deucalionisque secum induxerunt. Deinde in Thessalia agro Phthiotico nomen Hellados datum est,[7]) et Thessali, qui tunc ibi habitabant, se iam Hellenes nominabant. Thessali vero migrantes in Dorienses, qui in illis locis sedem habebant, inciderunt, et hos cum sibi adscivissent, communi deinde Hellenum nomine utrique usi sunt. Cum vero ager Doricus Thessalis accedentibus hominum nimis plenus fieret, Dorienses, meridiem versus proficisci coacti, in Doride, quae inter Oetam et Parnassum sita erat, domicilium collocaverunt. Sed cum hic perangustis finibus includerentur, iterum ad meridiem versus migrantes, Peloponnesum, ubi Achivi habitabant, expugnaverunt. Hac migratione gentis Doricae nomen quoque

---

[1]) cfr. Thuc. I. 3.

[2]) Apud Strabonem VII. 7. p. 321.

[3]) Dionys. A. R. I. 12.

[4]) cfr. Hesiod. fragm. ed. a Göttl. 192.

[5]) cfr. Paus. I 17. VIII. 23.

[6]) cfr. Plin. IV. 7. 14. Stephano Byzantio auctore illa provincia, quae posteriore tempore Thessalia appellabatur, ex nomine Haemonis, qui Pelasgi filius erat, Haemonia nominata est.

[7]) cfr. Dionys. Halic. I. 17.

Hellenum per totam Graeciam sensim diffundebatur. Itaque Pelasgi et Hellenes non gentes sunt inter se oppositae, sed his nominibus diversis tantum opponuntur initia eruditionis antiquissimis temporibus observata florenti artium litterarumque statui, quo posterius aevum erat insigne. Dorienses in nota illa migratione humaniores et urbaniores facti esse videntur, et cum, Achivis victis, assumptam humanitatem et urbanitatem propagarent, et mores politi praevalerent, ei, qui hac recentiore eruditione eminebant, Hellenes nominabantur, et ei, qui veteres mores retinuerant, Pelasgi appellabantur. Itaque his nominibus, ut supra iam diximus, non duae diversae gentes, sed duo diversi gradus eruditionis inter se opponuntur, et omnia, quae de Pelasgis memoriae traduntur, eo redeunt, ut hoc nomine antiquissimi Graecorum maiores significentur. Ex eadem significatione etiam id explicari potest, quod Pelasgus, primus Graeciae incola, e terra prognatus esse dicitur.

Deucalionis autem tempore post Pelasgicam Hellenica suboritur aetas; nam hic primus oraculum Delphicum, quod vere *ἑλληνικόν* erat, non Dodonaeum, stirpi Pelasgicae prius commune, consuluit; quare narratio in eo quoque sibi constat, quod Hellen Deucalionis filius fuisse traditur.

Ad metam pervenimus. Paucis ut complectamur, quod longa quaestione conati sumus probare: Herodotus erravit, Pelasgos et Hellenes, duas gentes diversas, inter se prorsus oppositos fuisse existimans.

Bei der Arbeit sind außer Quellen benutzt worden: Collegienhefte über Geschichte und Alterthümer, die Litteraturgeschichte von Horrmann, dann die Geschichte von Pütz und Duncker. Schließlich unbedeutend noch: Gellius und Schoemann: Antiquitates iuris publici Graecorum.